DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A CORNIFICIO EX...

Cornificius Ullefeld, Bartolomeo : da#Roma

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

Cornificius de Ullefeld Felicitatem.

GAUDEBAM, Beatissime Pater, *quoties ea , quæ à memore Genitore , & in ſe , & in Patruum meum humanitas à Te exercita ſæpiſſimè referebatur , menti occurrebat. Gaudebam equidem eorum maxima felicitate , quæ in me quoque non ſine peculiari bonore , ac gloria redundabat . At non minùs dolebam , quod uni mibi ſuperſtiti , qui eorum grati animi implerem vices , nulla ſe adbuc offerret occaſio , qua obſequium tandem teſtarer meum . Novum tandem*

a Te beneficium mihi præſtitum tanti me compotem voti fecit; Cùm enim tuum profectò munus fuerit, ut Te coram de Altiſſimo TRINITATIS *Myſterio pauca dicerem, nec huic melius, nec alijs poteram beneficijs reſpondere, quàm ſi jam recitatam Tuo etiam Nomini Orationem conſecrarem. Quid enim Summo dignius Pontifice, quam Summum Divinitatis Arcanum? Quid* CLEMENTI *gratius, quam ſi ejus ſubijciatur oculis, quod quotidie verſat in corde. Tibi igitur hoc præ cœteris obſequij argumentum mei probatum iri confido, utpote qui in rebus hiſce divinis ita per totum vitæ tempus verſatus es, ut Divini interpres conſilij à Deo nobis in Terris Divino planè Conſilio fueris conſtitutus. Qua ſoles itaque, & qua omnes vincis benignitate munus excipere ne graveris. Eam interim det Tibi Deus ætatem, ut Catholicam, Romanamque, quam conſtantiſſimè tueris, Fidem, communi tandem ejuſdem Fidei proſtrato hoſte, in ultimas uſque Orientis oras Tuis Auſpicijs feliciter propagatam cernere poſſis.*

Digitized by Google

ORATIO.

Ad Rom. 11. d.

QUANTA divinæ ſit altitudo ſapientiæ, BEATISSIME PATER, quàm mi- Pſ. 138. b. 6.
rabilia Dei opera, licèt omnia, Pſ. 14. b. 6.
quæ ipſe fecit in Cœlo, & in S.Pet. Chryſol. ſer. 8.
Terra, teſtentur, ac magnitudine ſui humanæ omninò mentis vires excedant, quæ terreni depreſſa corporis pondere ad alta Dei Myſteria fruſtra nititur evolare, niſi ille iuverit, qui donat homini cogitare divina; Ineffabile tamen TRINITATIS arcanum, quod credendum nobis hodie Sancta Mater proponit Eccleſia, quanto noſtris eſt magis à ſenſibus alienum, tanto magis conſtat eſſe profundum. Quis enim illam, qua de Deo De- D. Leo ſerm. de Pentecoſt.
us, de Omnipotente Omnipotens, non poſterior tempore, non inferior poteſtate, non diſſimilis gloria de Æterno natus eſt coæter- Eſa. 53. c. 8.
nus, generationem valeat perſcrutari, quam Propheta aſſerit inenarrabilem? Quia autem Johan. 1. a. 5.
fidelibus ſuis ſumma Dei efficit miſericordia, Pſ. 138. c. 12.
ut lux oriatur in tenebris, & nox ſicut dies

illu-

illuminetur, nobis etiam liberalitèr præſtitit intellectum, ut cognoſcamus, nullatenus ad Dei poſſe agnitionem, quam in Dei ſapientia, perveniri; cum de divina nemo clariùs natura aliquid valeat affirmare, quam ille, qui Deus eſt, & qui ſolus, ut inquit, eſt veritas. Tanti ergo Myſterij, & auctor ipſe eſſe voluit, & Magiſter, ut Sacramentum, in quo jacienda noſtræ erant fidei fundamenta, divinæ vocis oraculo firmaretur, & è cœlo reciperet ſtabilitatem, quod viam nobis ſternebat ad Cœlum. Quorum autem teſtis eſt Deus, non eſt neceſſe ut argumentis probentur humanis, cum hoc ipſo, quod à Deo dicuntur, veriſſima comprobantur; nam cum plus longè ſit Deus, quam omnis humana ratio, ſic plus nobis debet eſſe, quam ratio, quod à Deo hæc ſciamus hominibus revelata Pater enim dixit: Hic eſt Filius meus dilectus. Filius autem: Ego & Pater unum ſumus. Spiritus verò Sanctus: Omnia operatur unus & idem Spiritus. Quid firmiùs ad Æternæ TRINITATIS fidem roborandam mens humana deſideret, cum in tam ſublimi Teſtimonio, ac venerabili omnis ſit certitudinis plenitudo? Quod ſi mundanæ hæc inperſcrutabilia videantur eſſe Philoſophiæ, ac in Mirabilium Dei Operum conſideratione

ne

D. Leo ſerm. 5. de Nativit. Dñi
D. Auguſt. ſerm. de SS. Trinit.
Johan. 14. a. 6.
Salvian. lib. 3. de Guber. Dei.
Idem ibidem
D. Luc. 9. e 3.
Johan. 10. f. 30.
1. Corinth. 12. a 6.
Abac. 3.

ne deficiat intellectus, in inſipientiâ noſtra gloriemur potius, ut Dei in nobis ſcientia poſſit inhabitare. Si enim non valet homo explicare quod ſentit, Deus ſine dubio potuit implere quod voluit. Congruum namque eſt, ut in rebus Divinis Omnipotentiam magis ſequamur Dei, quam Mundi rationem, dicente ipſo Domino: Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ. Hinc venite, inquit, audite me, & oſtendam vobis Secreta Sapientiæ, Sapientiæ perfectæ, Sapientiæ, quæ deſurſum eſt, quæ diſsipatis errorum umbris, ac calligantium cogitationum rationibus confutatis, luce ſua credentium mentes illuſtrat, ac retegit abſcondita tenebrarum; Hæc nempe clamitat in cordibus noſtris, quoniam tres ſunt, qui Teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Quare nulla nos adverſantium Opinionum ſagacitas inſana deterreat, quando ita nos Deus verbo veritatis armavit, ut eum, qui in illum crediderit, confundi nunquam patiatur. Cœlum quidem, & Terra aliquando interitura tranſibunt, illius autem verba cum illius æternitate ſtabilia permanebunt. His itaque inſtitutionibus in tam ſublimi Myſterio divinitus eruditi abijciamus exoſa Domino

2. Corinth. 12. c. 9.

D. Maxim. Hom. 5. in Natali Dñi.

Eſaiæ 55. c. 8.

Iob 11. b. 6. 1.

1. Corinth. 4. a 5.

1. Iohan. 5. b. 8.

1. Iob b. 7.

Iſa. 28. d. 16

Matth. 24. c. 35.

D. Leo ferm. 8. de quadrag.

mino hominum deliramenta loquentium, mendacium, loquentium iniqua; Nam ſi ea, quæ Dei ſunt Mundi rationibus expendamus, neceſſe eſt ut fallamur, nec certa unquam poſſunt eſſe Judicia, quæ humanæ prudentiæ viribus, non divinæ vocis auctoritate initu[illegible]tur. Noſtræ potius mentis oculis obverſetur Pater Credentium Abraham, cui ideò, quia Deo credidit, reputatum eſt ad Juſtitiam. Magnum profectò donum gratiæ credere, & intelligere, dicente Propheta: Niſi credideritis non intelligetis. Credamus ergo, ut intelligamus, ſed oremus, ut mereamur inde videre, quod credimus.

Ioan. 8. f. 44.

Jacob 2. a. 21.

D. Auguſt. de Symb. ab Catecum. cap. 2.

Iſa. 7. b. 10

401.029.6

Digitized by Google